D. Amando Polano D. Pareus S.

de sto 1601

10)

Per D: Walaum tuas, Vir clarissime, amice et frater honorande accepi, ex quibus te adhuc meâ causâ de Indice illo sacra Chronologiæ à Laubio negligenter curato, et totos 13. menses perdito, laborare intellexi. Pro hâc tuâ curâ tibi gratias ago: eâq; te jam libero. Nam diligentiâ D: Glaseri tandem repertus est, et ante mensem ad me rediit. Obtulit is mihi suam operam, si evulgare cogitem. Et certè nulli à quibus deberet. Sed priùs adhibebo δοκιμάζειν φροντίδας. Ita sanè est, ut fratres in Chronologicis salvâ fide et charitate dissentire licet. Fatetur idem Hieronymus: fatetur Sulpitius in limine suæ historiæ, dicens: quòd inter se parùm consentiant, qui rationem temporum investigarunt edidérunt, cùm id vel mora Dei, vel vitio vetustatis eveniat, calumniâ carere debere. Neq; contemnendum laborem post alios in argumento Chronologico præstitit Scaliger. Sed si quis ejus intelligo, non pauca nimis ad veterum resecare velle visus est. In septimanarum Danielis computo libenter ei assentiter, nisi hypotheses assumeret nimis liberas. Porro, ut ut tamen editionem non vidi. Fateor mecum Beroaldo malle deferre hunc hominem historiæ sacræ, quòd ab Adamo primo ad secundum integram seriem texat, quàm dubia assumendo ex profanis scriptoribus petere, qui nec secum, nec cum sacrâ historiâ consentiant. Nec mirum, si centum annos resecet in annis Persicis: cùm in his vix illi consentiant, et Tertullianus multò etiam plures, 124 præcidat. Bruchthonus sialiam Chronologiam non scripsit, præter Danielis Commentarium, fanaticus videtur: ideò eum tibi relinquo: quacunq; de causâ exulet. Filium meum Philippum cogito Genevam mittere ad reducendum fratrem. Post Pentecosten ergò D: V: ipse vos salutabit. Socerum tuum D: Grynæum reverenter salvere jubeo. Vale. Heidelbergæ 14. April: 1601

JUSTUS. A D. Apostata. D Pareus. S.

11)

S. Quod contra divina et humana jura, contra fidem et conscientiam tuam, contra denique honestatem et humanitatem omnem, dulcissimos liberos tuos, cum conjuge tui amantissimâ, legitimam vocationem tuam,

ipsamq.